



Examen VWO

Latijn

Voorbereidend
Wetenschappelijk
Onderwijs

19 | 98

Tijdvak 1
Dinsdag 19 mei
9.00–12.00 uur

Tekstboekje

Tekst 1

395 Coniugis augurio quamquam Titania mota est,
396 spes tamen in dubio est: adeo caelestibus ambo
397 diffidunt monitis. sed quid temptare nocebit?
398 discedunt velantque caput tunicasque recingunt
399 et iussos lapides sua post vestigia mittunt.
400 saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
401 ponere duritiem coepere suumque rigorem
402 mollirique mora mollitaque ducere formam.
403 mox ubi creverunt naturaque mitior illis
404 contigit, ut quaedam, sic non manifesta videri
405 forma potest hominis, sed, uti de marmore coepta,
406 non exacta satis rudibusque simillima signis.
407 quae tamen ex illis aliquo pars umida suco
408 et terrena fuit, versa est in corporis usum;
409 quod solidum est flectique nequit, mutatur in ossa;
410 quae modo vena fuit, sub eodem nomine mansit;
411 inque brevi spatio superiorum numine saxa
412 missa viri manibus faciem traxere virorum,
413 et de femineo reparata est femina iactu.
414 inde genus durum sumus experiensque laborum
415 et documenta damus, qua simus origine nati.

Ovidius, Metamorfosen 1, 395-415

Tekst 2

26 Pallas anum simulat falsosque in tempora canos
27 addit et infirmos baculo quoque sustinet artus;
28 tum sic orsa loqui: „non omnia grandior aetas,
29 quae fugiamus, habet: seris venit usus ab annis.
30 consilium ne sperne meum. tibi fama petatur
31 inter mortales faciendae maxima lanae:
32 cede deae veniamque tuis, temeraria, dictis
33 supplice voce roga: veniam dabit illa roganti.”
34 adspicit hanc torvis inceptaque fila relinquit
35 vixque manum retinens confessaque vultibus iram
36 talibus obscuram resecuta est Pallada dictis:
37 „mentis inops longaque venis confecta senecta,
38 et nimium vixisse diu nocet. audiat istas,
39 siqua tibi nurus est, siqua est tibi filia, voces.
40 consilii satis est in me mihi, neve monendo
41 profecisse putes, eadem est sententia nobis.
42 cur non ipsa venit? cur haec certamina vitat?”
43 tum dea „venit!” ait formamque removit anilem
44 Palladaque exhibuit. venerantur numina nymphae
45 Mygdonidesque nurus, sola est non territa virgo;
46 sed tamen erubuit, subitusque invita notavit
47 ora rubor rursusque evanuit, ut solet aër
48 purpureus fieri, cum primum aurora movetur,
49 et breve post tempus candescere solis ab ortu.

50 perstat in incepto stolidaeque cupidine palmae
51 in sua fata ruit: neque enim Iove nata recusat
52 nec monet ulterius nec iam certamina differt.

Ovidius, Metamorfosen 6, 26-52

Tekst 3

573 Aeolis interea tantorum ignara malorum
574 dinumerat noctes et iam, quas induat ille,
575 festinat vestes, iam quas, ubi venerit ille,
576 ipsa gerat, reditusque sibi promittit inanes.
577 omnibus illa quidem superis pia tura ferebat,
578 ante tamen cunctos Iunonis templa colebat,
579 proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras,
580 utque foret sospes coniunx suus utque rediret,
581 optabat, nullamque sibi praeferret; at illi
582 hoc de tot votis poterat contingere solum.
583 at dea non ultra pro functo morte rogari
584 sustinet, utque manus funestas arceat aris,
585 „Iri, meae” dixit „fidissima nuntia vocis,
586 vise soporiferam Somni velociter aulam
587 exstinctique iube Ceycis imagine mittat
588 somnia ad Alcyonen veros narrantia casus.”
589 dixerat: induitur velamina mille colorum
590 Iris et arcuato caelum curvamine signans
591 tecta petit iussi sub nube latentia regis.
592 est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
593 mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni:
594 quo numquam radiis oriens mediusve cadensve
595 Phoebus adire potest; nebulae caligine mixtae
596 exhalantur humo dubiaeque crepuscula lucis.
597 non vigil ales ibi cristati cantibus oris
598 evocat Auroram, nec voce silentia rumpunt
599 sollicitive canes canibusve sagacior anser;
600 non fera, non pecudes, non moti flamine rami
601 humanaeve sonum reddunt convicia linguae;
602 muta quies habitat; saxo tamen exit ab imo
603 rivus aquae Lethes, per quem cum murmure labens
604 invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
605 ante fores antri fecunda papavera florent
606 innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem
607 Nox legit et spargit per opacas umida terras;
608 ianua nec verso stridorem cardine reddit:
609 nulla domo tota est, custos in limine nullus;
610 at medio torus est ebena sublimis in atra,
611 plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
612 quo cubat ipse deus membris languore solutis.
613 hunc circa passim varias imitantia formas
614 somnia vana iacent totidem, quot messis aristas,
615 silva gerit frondes, eiectas litus harenas.
616 quo simul intravit manibusque obstantia virgo
617 somnia dimovit, vestis fulgore reluxit
618 sacra domus, tarda que deus gravitate iacentes
619 vix oculos tollens iterumque iterumque relabens
620 summaque percutiens nutanti pectora mento

621 excussit tandem sibi se cubitoque levatus,
622 quid veniat (cognovit enim), scitatur; at illa:
623 „Somne, quies rerum, placidissime, Somne, deorum,
624 pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
625 fessa ministeriis mulces reparasque labori,
626 somnia, quae veras aequant imitamine formas,
627 Herculea Trachine iube sub imagine regis
628 Alcyonen adeant simulacraque naufraga fingant.
629 imperat hoc Iuno.” postquam mandata peregit,
630 Iris abit (neque enim ulterius tolerare soporis
631 vim poterat), labique ut somnum sensit in artus,
632 effugit et remeat, per quos modo venerat arcus.

—
—
—
Ovidius, Metamorfosen 11, 573-632

Tekst 4

In zijn roman *De laatste wereld* heeft de Oostenrijkse schrijver Chr. Ransmayr op originele wijze de stof van Ovidius' *Metamorfosen* verwerkt.

1 Alcyones droom was reeds werkelijkheid geworden, maar nog zat de weduwe met twee
2 vriendinnen tussen laurier en rozenstruiken op een veranda van het paleis een jurk te
3 naaien die zij op het feest ter ere van Ceyx' terugkomst wilde dragen. In gedachten liep ze
4 ook al ver vooruit op dit werkstuk, vlocht ze guirlandes, zag ze Ceyx door de steile straat
5 omhoog naar zich toekomen en spreidde ze haar armen uit. [...] Iedere morgen, iedere
6 middag en iedere avond liep en rende Alcyone langs de kust en brandde zich de ogen aan
7 de stekende verte.



Tekst 5

Jupiter is verliefd geworden op Io, de dochter van de riviergod Inachus. Juno heeft daar lucht van gekregen. Jupiter denkt zijn echtgenote om de tuin te kunnen leiden door Io in een koe te veranderen. Maar Juno doorziet de list en zij vraagt – en krijgt! – van Jupiter de koe cadeau. Juno plaatst de koe vervolgens onder bewaking van Argus, een monster met honderd ogen.

630 Overdag laat Argus haar grazen; maar wanneer de zon is ondergegaan
631 sluit hij haar op en legt een touw om haar onschuldige nek.
632 Frondibus arboreis et amara pascitur herba
633 proque toro terrae, non semper gramen habenti,
634 incubat infelix limosaque flumina potat.
635 Illa etiam supplex Argo cum bracchia vellet
636 tendere, non habuit quae bracchia tenderet Argo.
637 Et conata queri mugitus edidit ore
638 pertimuitque sonos propriaque exterrita voce est.
639 Venit et ad ripas, ubi ludere saepe solebat,
640 Inachidas ripas, novaque ut conspexit in unda
641 cornua, pertimuit seque exsternata refugit.
642 Naides ignorant, ignorat et Inachus ipse
643 quae sit; at illa patrem sequitur sequiturque sorores
644 et patitur tangi seque admirantibus offert.
645 Decerptas senior porrexerat Inachus herbas;
646 illa manus lambit patriisque dat oscula palmis
647 nec retinet lacrimas.

Ovidius, *Metamorfosen 1*, 630-647

regel 632 **pascitur** Subject *Io*.
regel 633 **pro toro** in plaats van op een bed
regel 636 **tendere + dativus (tweemaal)** uitstrekken naar
non habuit quae bracchia tenderet Argo = non habuit bracchia quae tenderet
Argo
regel 637 **mugitus, -us** geloei
regel 640 **Inachidas** van de Inachus *Accusativus meervoud; verbinden met ripas*.
regel 641 **exsternatus** in paniek
regel 642 **Naides** de Naiaden (*waternimfen, Io's zusters*)
regel 645 **senior** oud

Einde